

05

A

429



IN NOMINE SS. ET INDIVIDUÆ ΤΡΙΑΔΟΣ!
EXERCITATIO THEOLOGICA,
AD DICTUM GEN. IX. 27.

continens

VATICINIUM NOACHI,
DE
HABITATIONE
JAPHETI IN TABER-
NACULIS SEMI,

Quam

Adgubernante Cœlesti Numine,
IN ELECTORALI ACADEMIA WITTEBERGENSI,
SUB PRÆSIDIO

VIRI *Maximè Reverendi, Magnifici atq; Amplissimi*

DN. ABRAHAMI CALOVII,

SS. Theol. Doct. Prof. Publ. Primarii famigeratissimi,
Vener. Consist. Eccles. & Fac. Theol. Senioris gravissimi,
Ecclesiæ Wittenberg, Pastoris, Circuliq; Electoralis Saxonici
Superintendentis Generalis vigilantissimi ac longè
celeberrimi,

*Domini Patroni ac Præceptoris sui, filiali obsequio & devotione
aviternum colendi ac suspiciendi;*

Exercitii causa, Publicæ Eruditorum ventilationi subjicit

JOANNES DAN. SOLINUS,

Dahlekarliâ - Svecus, A. & R.

Ad Diem Martii, In Auditorio Majori,

Anno Ære Christianæ M DC LXXXIII

WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typogr.

S^æ. R^æ. M^{tis}. SVECIÆ Maximo Ministro,

Perillustri ac Generosissimo Domino,

DN. GUSTAVO DUWALL,

Baroni Hæreditario de Macherstoun, L. B. ad

Ludewijfa / Domino in Korrnaäs / Saswastebn /

Hoff ac Sijßbn / nec non Equiti Aurato; Gubernatori

Dahlekarlorum Orientalium & Occidentali-

um, ut & Montanorum &c. &c. Dynastæ

Excellentissimo,

Domino meo gratiosissimo :

Reverendissimo, Amplissimoq; Domino,

DN. L. CAROLO CARLSSON,

Theologo insigni, Diœceseos Arosiensis Episcopo

eminentissimo, ut & Consistorii ibidem Præsidi

longè dexterrimo, ac Gymnasii Regii Ephoro

vigilantissimo :

Pl. Reverendo ac Præclariss. Dn:

Mag. DANIELI L. HELSINGIO,

Parochiæ Lexandensium Pastori ac Præposito

meritissimo, laudatissimoq; :

Dominis & Mecœnatibus, Patronisq; suis Magnis

ac benignissimis,

Gratiam, Pacem & benedictionem à Jesu Christo

sempiternam, devotè precatur!



PERILLISTRIS AC GENEROSISSIME DN. BARO,
REVERENDISSIME DN. EPISCOPE,
PL. REVERENDE DN. P. & P.

Utingens DEi Omnipot. beneficium sit, Patroni Maximi Opti-
miq; quòd temporibus postremis, & in hac Mundi senectà, pro
ineffabili clementia ac misericordia sua, generi humano Lucem
Evangelii & Verbi sui, post tenebras Papisticarum superstitionum, in
Celeberrimis hisce Regionibus Germanicis, ac præcipuè hic Witteber-
ga, puram & sinceram, per Virum Semideum, & velut tertium Eliam
B. D. Martinum Lutherum exoriri & fulgidissimo jubare præluere
voluit: sic magnum sanè ortum solatium est & gaudium, non tantum
his alijsq; circumjacentibus Regionibus, verum etiam Patrie nostræ
Charissimæ, imo & tandem iis, qui habitant in extremis Oris Septen-
trionalibus. Quibus miseris, qui unà nobiscum in densissimis erro-
rum tenebris perniciosè palpitarunt, Christus Lumen illud Splendi-
dissimum agnitionis suæ saluberrimam facem adlucere voluit; ita
ut summò gaudiò dicere possimus cum Propheta Zacharia, quòd DE-
us requiescere faciat Spiritum suum in Aquilone. Harum certè
maximarum rerum consideratione convincimur, ut fateri cogamur,
verba nobis deesse, quibus gratitudinem nostram DEo declaremus;
cum sic hodiè impleatur mirabilis illa Prophetia Patriarchæ Noachi,
continens אֱלֹהֵינוּ Ecclesiæ Gentium, dum inquit: Dilatet DEus
Japhet & habitet in Tabernaculis Semi! adeò, ut quamvis nos non si-
mus de semine Abrahæ; habitemus tamen in Tabernaculis Semi, &
promissionibus fruamur de Messia impletis. In hujus materia grati-
am cum ex pio quodam Zelo mihi in animum venerit, pauca publicæ
Eruditorum ventilationi subjicere, non in acceptum fore credidi, si pi-
etatis hanc sobolem, pagellis paucis comprehensam, vobis Patronis ac
Mecœnatibus meis Magnis & perbenignis in signum quaecunq; ob-
servantia & reverentia, more debito, offerrem atq; consecrarem: cum
per indicia minimè obscura, Vestram erga me singularem atq; nun-
quam satis laudandam affectionem, non tantum antea semper abun-
dè sim

de sim expertus, verum etiam circa abitum meum à Patria, dum quisq;
Vestrum gratiosò ac honorificò suò testimonio me ornare & instructum
reddere veluerit, de predicare possim. Atq; hac causa fuit, quæ movit
me, imò impulit, ut hanc opellam meam, siue exercitium hoc Academi-
cum Vestris Nominibus consecrarem. Tibi itaq; Generosissime L. Ba-
ro, ut Domino meo Clementi ac Patrono Magno, pro eximia illa clemen-
tiæ & beneficiorum magnitudine, multis in me nominib; collata: Tibi
v. Reverendissime Episcopo, ut Mecænati gravissimo, Patrono ac Pro-
motori benignissimo, omni pietatis Zelo atatem devenerando: Tibiq; Pl.
Rev. Dn. Past. & Præp. ut Nutritio meo per annos benè multos propen-
so, Patrono ac Fautori observanter colendo, pagellas hasce humiliter,
piè atq; reverenter dedico & offero: nullus dubitans, quin serena fron-
te pium meum & simplicem conatum in perpetuè submissæ animi ob-
servantiæ, venerationis & honoris tesseram suscipiatis, ac opusculum
hocce, non ex pondere, sed argumento, quod tractat, & affectu quò
inscribitur, judicetis: mibiq; Favaris & Patrocini Vestri auram por-
rò benignissimè adspirare ut dignemini, submissè rogo ac certò spero.
Cætera Deum Opt. Max. supplex veneror, ut Te Generosissime Baro,
Illustremq; Tuam familiam tueatur ex alto, fascibusq; Tuis æternam
circumdet prosperitatem! Teq; Reverendissimè Præsul, Vermanne
Dablekarlieq; Nostræ Episcopo, idem DEUS Trinunus diu nobis in-
columen & saluum conservet, quò Nominis Tui celebritatem, uti adgu-
bernante Dei gratiâ omnium applausu præclarè & feliciter cepisti, no-
bis ac omnibus bonis porrò extendere valeas! Protegat idem DEUS O-
mnipotens Rev. T. D. Past. & Præp. reverenter colende, & Spiritu Sani-
tatis Te roboret ac instruat, Ecclesia, Tibi, ac Tuis emolumento atq; com-
modo!

DNN. Patronis Promotoribusq; suis Magnis
atq; benignissimis piè ac devotè

animatus adprecatur

Wittenb. ex Kirch-
majerianis edibus,
D. IX. Kal. Martii,
Anno 1736 XXCIII.

obsequio devotiss.

J. SOLINUS.



CHRISTO AUSPICE,
DISCURSUS PROOEMIALIS.

Imotheum suum Paulus graviter admonet, *ne attendat fabulis & genealogiis interminabilibus*, 1. Tim. I. 4. Eodem pacto Titum etiam alloquitur: *stultas quaestiones & genealogias, & rixas & contentiones legales fuge, sunt enim inutiles & vana* Tit. III. 9.

Quæ Apostoli verba, non ita debent accipi, quasi Apostolus prohibuisset accuratam considerationem & explicationem genealogiarum biblicarum, qualis capite quinto & decimo Geneseos, in Exodo, Numeris, primo Paralipomenon, Matthæi primo, Lucæ tertio & alibi continetur, Expressè enim Paulus inter genealogias determinatas, & à Spiritu Sancto annotatas, interq; ἀπεργίτης, quæ nullo fundamento & descriptione Scripturæ nituntur, distingvit, illas alibi Rom. 9. commendans, has autem damnans.

Genealogia certè Biblica si obiter & per transfennam aspiciatur, non insignem aliquam utilitatem conferre videtur; è diligentī v. ejus meditatione & interpretatione plurimi, iiq; egregii fructus in Ecclesiam redundant: de quare, insigne in primis Exemplum nobis exhibet genealogia Christi, unde de Salvatoris nostri tribu & familia certiores reddimur. Deinde discimus hinc etiam sacrae historiae antiquitatem, quosque Ecclesia DEI ab initio mundi usq; habuerit

A

erit

erit Patriarchas, Prophetas, Episcopos & Pastores, ut & gubernatores, per quorum *Μαδοχίη* & successionem doctrina Coelestis ad nos propagata est. Adhuc ex diligenti contemplatione Genealogiae Patriarchae Noachi, ejusque filiorum, praesertim Japheti, certi reddimur quod ad nos pertineat promissio, Japheto ejusque filiis dicata: **Japhet habitabit in Tabernaculis Semi.** Licet alioquin non ignoremus, in *Christo benedici omneis genteis terrae, & in Christo non discrimen esse inter Graecum & Judaeum, circumcissionem & praeputium, Barbarum, Scytham, servum, liberum; sed omnia & in omnibus esse Christum.* Col. III. II.

Jucunda adeo & necessaria est *ἡ ἀνεγκόεσσα*, quae nimirum nos de veritate & certitudine doctrinae Coelestis constanter gloriari possumus. Quemadmodum enim octo tantum animae, quae universalis inundationis tempore in arca continebantur, salvae evaserunt, reliquis omnibus horrendum in modum suffocatis: ita eorum omnium selectiores, qui in vastissimis mundi pelagi fluctibus augustissimo naviculae Christi ambitu continentur, optatissimum aeternae beatitudinis portum attingere possunt, caeteris in universum Stygiae paludis Syrtibus irretitis atque submersis.

Enim verò extra corpus Christi, hoc est Ecclesiam, Spiritum Christi haberi est impossibile. *Quicumque autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus:* idcirco quisquis ab Ecclesia exulaverit, illum nihil cum Christo commercii, sed aeternum exitium sibi constitutum habere, meridiano jubare evidentiùs patet.

Cum autem Ecclesia Sanctorum Sola sit *ἐκκλησία*, in quo Spiritus Sanctus organo **verbi & Sacramentorum**, hominum corda splendore veritatis coelestis imbuat,

buit, & ad vitam æternam regenerat; Proinde quæ Ecclesiæ illius ratio, & quomodo à malignantium colluyie discrimi-
nanda sit, scitu non utile modò & jucundum; sed & per
necessarium fuerit, ut nos illius Societati aggregati, *non
amplius hospites & inquilini sumus; sed tanquam concives
Sanctorum & domestici Dei, superstructi super fundamentum
Apostolorum & Prophetarum, crescamus in templum Sanctum
Domino.*

Ad meliorem itaq; intelligentiam & cognitionem
Prophetiæ Noachi de Tabernaculis Semi, in quibus
Japheto promissum est habitare, non inutile duxi breviter
percurrere prima initia, & deinde continuum progressum
Noachi ejusq; filiorum, quæ etiam occasione in hæc verba
& egregiam Prophetiam erumpit, & quænam per ea verba
præcipuè intelligantur, ac deinde procreationem Japheti
perpendamus, quatenus illam Prophetiam ad nos applica-
re possimus & quibus rationibus certi erimus, nos non tan-
tùm esse de progenie Japheti, verùm etiam, quod summum
est, quibus signis & argumentis probare possimus, nos habi-
tare in **Tabernaculis Semi**, & notam habere **veræ
Ecclesiæ Christi**: atq; hæc omnia, ut certis cancellis
circumscribantur, **Quatuor** præcipuè **membris** absol-
vere animus est, adeo ut, cum singula verba, sin-
gula habeant pondera, omnia etiam cura diligentiori expen-
dantur, Erit itaq;, **Primum Membrum**, de ipso
Patriarcha Noacho, ejusq; insigni vaticinio.
Secundum, de quibusdam filiis & posteris Ja-
pheti. **Tertium**, de signis ac notis, quibus
certi esse possimus, nos habitare in Taber-

naculis Semi, hoc est, nostram veram Christi esse Ecclesiam ac orthodoxam, fundatam verbo DEI & Sacramentis. Quartum, expendens Goropii Becani circa hunc locum explicandum corruptelas, easq; diluens.

Faxit DEus, ut institutum hoc vergat in nominis sui gloriam, nostrumq; felix emolumentum!

MEMBRUM PRIMUM.

De ipso Patriarcha Noacho, ejusq;ve insigni vaticinio.

§. I.

IN antecessum, ut majoris ponderis sit hoc vaticinium Noachi, videtur non inutile fore, ab initio de ejusdem Noachi, ortu ac vita aliquid commemorasse, sequuturi eum modum ac principia, quæ nobis in ipsa S. Scriptura, tanquam hujus negotii firmissimo fundamento prostant: Sapiencia enim Ecclesiæ DEI propria est inter alia, scire non tantum originem & ætatem mundi, verum etiam Patriarcharum; non quasi ex antiqua memoria repetita & incerta vestigia primi mundi & Patriarcharum noverit, ut Ethnici, qui quæ auditione majorum acceperant, fabulis corrupta, utcunq; asseruarunt; sed certam seriem Patrum usq; ad primum hominem agnoscit Ecclesia, & quidem annos numerat accuratè, tum nativitatis, tum mortis. Noachus adeo decimus est Patriarcha ab Adamo, sed Adamum is nunquam vidit, nec Adamus ipsum: Noachus autem alter humani generis Pater atq; instaurator factus est: Ipse verè fuit Janus bifrons *ὄπισθεν καὶ ἐμπροσθέντων*, hoc est, retrò & antè se videns.

Qvo-

Quoniam mundum ante & post diluuium vidit. Mundi ante diluuii amœnitatem, & ob mundi diluuii undis dilacerati vastitatem, mundi miseriam ingemuit.

§. II. Nomen Noachi quod attinet appellatus est à Patre Lamecho Noachus Hebr. נח Gen. V. 29. ubi verba sic sonant: *Lamech vocavit nomen eius Noach, dicens: iste consolabitur nos ab opere nostro, & à dolore manuum nostrarum de terra, cui maledixit Dominus.* Hæc pulchrè reddidit B. Lutherus in comment. ad Genesin fol. 80. Witt. Lat. Ad hunc modum. *Postquam Lamech avum suum Enoch sine dolore, sine morbo, sine morte raptum in Paradysum vidit, putat futurum, ut statim sequatur tota Paradysus, iudicat etenim Noach esse promissum semen, ac reparaturum esse orbem terrarum.* Hæc B. Lutherus. Et sic non aliter atqve Adam & Eva filium suum nominant Cainum, quod suspirium est naturæ cupientis à vanitate per adventum Messia liberari ut Rom. VIII 23. respicit Lamechus ad promissionem seminis mulieris, filiumq; suum à quiete & consolatione appellavit: adeò ut nomen hoc sit & *σηπαιλησόν* & *ωεφνησόν*. Derivant enim quidam Noah à נח hoc est quievit: Sic idem est quod quies *ruhe* / quoniam נח est quies. Unde existimant esse Germanorum *Nacht* / Svecorum *natt*: nox enim quieti divinitus destinata est, confer Psal. CIV. 23. Quidam derivant Noah à נחם consolatus est: ita ut Noah sit dictus quasi נחם / hoc est, consolator; nominis siquidem ratio in textu additur à Patre Lamech, sc. *quia ipse quiescere nos faciet, vel consolabitur nos ab opere nostro.* Alludit heic Lamech ad duram atq; laboriosam vitæ rationem, cui addictus Adam à DEO fuerat; & quamvis vaticinium Lamechi de Noacho, tanquam de mundi Salvatore & Messia in cassum abiit, tamen satis convenienter vaticinatur de servandis mundi reliquiis in diluvio per Noachum: Quandoquidem in hoc folio

Noacho quietura sive cessatura DEi ira, ne totum genus humanum periret, sed ejus seminarium aliquod remaneret. Itaque eleganter loquitur Theodoretus; *Noe Salvatorem nostrum figurat, qui quietem mortalibus attulit, atq; à maledicto nos liberavit.*

§. III. Laudatur Noachus à Spiritu DEi testimonio hoc cap. VI. 8. *quod gratiam invenerit coram Domino, fueritq; vir justus atq; perfectus in generationibus suis, cum Deo ambulavit.* Hic probè observandum, Noachum gratiam non meruisse sed *invenisse coram Domino.* Gratia enim gratis datur, non meritis operantis, sed miseratione donantis, ut Augustini utar verbis de gratia Novi Testamenti cap. 19. Verum Noachus, ut in ista ætate vel potius Cyclopica hominum barbarie, non ad pervulgata mundi peccata, nempe Epicureismum, libidinem, insolentiam atq; tyrannidem declinaret, sed promissionem Evangelii de semine benedicto vera fide apprehenderat, eamqve constanter retinuerat, hanc eadem fide fuit justus coram DEo, ut etiam Epist. ad Hebr. cap. XI. 7. perspicuis verbis testatur; *quod Noachus sit factus Justitie heres, quæ est secundum fidem:* atq; sic totius vitæ suæ cursum sine ulla hypocrisi unicè ad DEi verbum composuit, idq; DEo ductore & gubernatore cum quo præeunte & incitante ambulavit. *Filii enim DEi ducuntur Spiritu DEi,* Rom. VIII. 14.

§. IV. Pronunciatur præterea de Noacho 2. Pet. II. 5. *quod justitie præco extiterit; unde quatenus ministerio functus sit, peccata mundi accusando, & calamitatem venturam ei denunciando, idq; non tantum λόγῳ sive verbaliter, ut Gen. VI. 3. Sed etiam ἔργῳ, ipso facto: Nam arcam mandato DEi Gen. VI. 14. ædificavit, eamq; cum tota sua domo sc. uxore, tribus filiis, Sem, Cham, Japhet, & totidem nuri- bus ingressus est Gen. VII. 1, 7, 13.* Sic ipse securus à diluvio i-
ram

ram DEi iudicis tremendi Cœlestem, omniumque rerum,
conditarum interitum contuetur, Gen. VII. 11, &c.
Et super ruinas orbis terrarum, annum circiter in-
tegrum in arcæ navigio navigat, Gen. VIII. 13. Postea
jussu DEi ex arca est egressus, cum uxore, filiis & nuribus, Gen.
VIII. 15, 18.

§. V. Post egressum ex arca, extruxit Noachus Jehovæ
altare, in perpetuum gratitudinis *μνημόσυλον*, hoc est, memo-
riale, inq; eo sacrificium obtulit DEo in odorem Sœavitatis,
Gen. VIII. 20. Noachus non novum cultum hic auspicatur, sed
priscum Adamo, Abeli, Enocho, Setho usitatum repetit, idq;
facit Domino per imparem animalium mundorum nume-
rum præeunte, & innuente, tanquam summus suæ familiæ,
& universæ, quæ tunc fuit, Ecclesiæ Pontifex. Eam etiam ob
causam DEum septena cujusq; generis asservari voluisse cer-
tus erat. Huc itaq; accedit, quod Noachus sacrificans, Chris-
ti seipsum immolantis typum exhibuit, quæ de re pulchrè Cy-
rillus lib. 3 in Genes.

§. VI. Hinc DEus benedixit Noacho & filiis ejus, ac
pactum cum ipso erexit, cum semine ejus, inq; *signum fœ-
deris Iridem*, tanquam Cœlestem arcum & versicolore in
nubibus Cœli collocavit, quod nullo deinceps universali di-
ludio genus humanum perire deberet, Gen. IX. 9. &c. In fœ-
deribus enim ut adhiberi solent signa, quibus ea tum confir-
mantur in præsentia, tum eorum propè collapsa renovantur:
ita & DEus, imbecillitati hominum prospiciens, pactum de
non evertendo terrarum orbe, confirmat signo Iridis, quod sa-
nè meteorum admirandum est, in quo gloria DEI maximè
refulget, unde arcum hunc in visione vidit Ezechiel, ut hoc
gloriæ DEi testimonio magis afficeretur Ezech. I. 28 & *arcus
seu Iris* dicitur fuisse *in circuitu throni Christi* Apoc. IV. 3.

§. VII. Noachus vero ad agriculturam & labores, qui-
bus

bus ante diluuium dubio procul assueverat se recepit, vine-
amq; plantavit, Gen. IX. 20. &c. Fuisse hoc studium Noachi
antiqum, aliqui putant & vini usum jam ante diluuium re-
ceptum; siquidem Christus luxuriam primi mundi in biben-
do quoq; accusat Luc. XVII. 27. Alii vero judicant, monstra-
tum vini usum Noacho divinitus post diluuium, tanquam na-
turae, fractae & viribus debilitatae, praesidium: & in dicto lo-
co non accusare ebrietatem primi mundi, sed securitatem,
(phrasi Scripturae usitata, quae ubi ocium describit & tranqvil-
litatem, sic loquitur) facit haec posterior sententia ad peccatum
Noachi extenuandum, quia utens vino, tanquam genere potio-
nis incognito, inebriabatur, nullam suam culpam. Veruntamen pri-
or quoq; sententia nihil habet incommodi, ac potuit nihilo-
minus virorum optimus laboribus ac curis debilitatus, lar-
giori haustu vini nobilis facile inebriari, & sic inebriatur,
non ex *αργαλειώσεως*, sed incidenter, aut nescius virtutis & ef-
ficaciae hujus potus, aut de ea non cogitans. *Ebrius itaque
Noachus recumbit in tabernaculo suo, & dormiens interdum de-
nudatus*, ridetur a filio suo Chamo. a Semo a. & Japheto vesti-
mento contegitur, Gen. IX. 22, 23.

§. VIII *Evigilans Noachus*, indignatus hac impietate
Chamo maledixit, & mutata conditione, Semo Japhetoq; fra-
tribus servire voluit Gen. IX. 24, 25. Verum notatu hoc di-
gnum est, quod Spiritus Sanctus, (qui loquebatur per Noa-
chum) adeo detestatus sit Cainum impium, ut ne nomen
ejus exprimere dignetur, sed in filii ipsius Chanaan nomi-
ne ipsi maledixit, hisce verbis: *Maledictus puer Chanaan!
Servus servorum erit fratribus suis.* Praevidebat namq; Spiritus san-
ctus Chanaan & Chananeos Patre suo Chamo meliores ni-
hilo futuros; Et quamvis ad se imperium rapuere Chana-
nai: tamen coram Deo non censentur liberi sed servi: licet
enim Deus terram Chanaan, filio Chami Chanani (unde
etiam

etiam terram Chanaan appellari volunt) multis seculis frui concesserat, tandem tamen populum suum Israel, (ex Semo oriundum) duce Josuâ in eam, ejectis Chananæis, introduxit, eamq; penè universam tribubus Israelitarum distribuit, Jos. 13. &c. Et sicubi Chananæorum reliquæ superfuerant, puta Thebis à Cadmo, & Carthagine à Didone conditis, id omne vel à Græcis vel à Romanis excisum, ex Historiis reperitur: quatenus itaq; Græci & Romani ortum suum ex stirpe Japheti habeant, eatenus posterii Japheti hisce Chananæis imperavere.

§. IX. Hisce jam ita præmissis, sequitur nunc egregium illud vaticinium Noachi ventilandum, in quo de Messia ac vocatione Gentium vaticinatur Noachus, de Messia v. 26. Cap. 9. dum inquit. **Benedictus Dominus DEus Semi.** Convertit hic sermonem suum ad DEum, gratias illi agens pro abundanti benedictione spirituali & corporali quam Spiritu Sancto impletus, intelligit filio, Semo, destinatam esse. Atq; expressè indigitat Messiam, cum dicit **Jehova Elohim Sem,** hoc est, **Dominus DEus Semi;** duo sic in Christo agnoscit naturas, prima est divina, quia vocat eum **Jehovam,** quâ notatur divina Christi natura, secundum quam DEo Patri & Spiritui Sancto est *ὁμοῦσος* & consubstantialis: altera est humana secundum quam in plenitudine temporis ex Semo oriundus erat, unde dicit, **DEus Semi,** & Lucas Evang. cap. III 36, ex Semo genealogiam Christi deducit. *Christus adeo est ex Patribus secundum carnem, qui est super omnia DEus benedictus in secula,* Rom. IX. 5. Elucet hic Patriarchæ industria, cum DEO, vel filio DEI sic benedicit, ut eadem opera etiam filio suo benedicat. Nam quibus

B

verbis

gratias agit pro acceptis beneficiis, etiam implorat futura, & DEi benedictiones familiae Semi annectit: quippe cum DEum appellat DEum Semi, hoc tacite insinuat fore ut DEus sit illi DEus modo peculiari, quemadmodum & DEus Abrahæ promisit, inqviens: *Ero DEus Tuus, & seminis tui post te*, Gen. XVII. 7.

§. X. De vocatione vero gentium vaticinatur Noachus v. 27. Dilatet DEus Japhet, & habitet in Tabernaculis Sem. Quibus verbis Spiritus Sanctus prædicit secessionem posterorum Japhet à vera Ecclesia ad tempus, ac tandem reductionem & collectionem gentium ad Tabernacula Sem, hoc est, veram Ecclesiam & familiam DEI, quod factum est prædicatione Evangelii & ministerio Apostolorum & successorum. Verba in textu Hebræo, sive originali ita se habent, **דִּילַטֵת אֱלֹהִים יַפֶּת לִיֶּפֶת** Dilatet DEus Japhet, vel potius cum litera ל sit nota dativi & voci Japhet hic præfixa, reddendum est: **Dilatet DEus Japheto**, ut habent LXX. Interpretes. Noachus hac paronomasia nomen filii sui non tantum interpretatur, sed simul etiam vates est: Origo enim est verbum **פָּתַח** plectus sive persuasus fuit, quod in alia forma aliam habet significationem; nam in Pihel significat persuadere, idem quod *πiθεiv*, & in Hiphil denotat dilatare, adeoq; **יַפֶּת** est futurum hiphil, & secundum Chaldaëum Paraphrasten & Pagninum, & plerosq; Hebræos significat expandet vel dilatet. Huc itaq; accommodantur verba, **dilatet DEus Japheto**, sc. habitandi locum (sive persuadeat DEUS Japheto, & blande cum eo loquetur) & ha-

& habitabit in Tabernaculis Sem; quæ expositio
convenit cum B. Lutheri, aliorumq; Theologorum men-
te, nam B. Lutherus in Bibliis Germ. reddidit, **Got** brei-
te Japhet auß / quod significat amplificationem & magnis-
ficentiam Ecclesiæ Novi Testamenti. Et in Commentario
super Genesin Tom 6. Witt. Lat. fol. 121. *Blandè loqvetur
DEus cum Japhet:* quæ verba ibidem sunt contextus. No-
men vero Japhet ita ibidem loci Luth. exponit, inqviens.
*Ad hunc modum Japhet significat, quem nos proverbio sim-
plicem vocamus qui facile credit, facile sibi persuaderi ali-
quid sinit, non est contentiosus, non pertinax, sed captivat
sensum suum Domino, & acquiescit verbo ejus, manet di-
scipulus, non vult esse magister in verbis & factis DEi. Suae
vissimum igitur votum hic proponitur, ut DEus persuadeat
Japheto, hoc est, ut blandè cum eo loqvatur, ut qvanqvam
non loqvitur ad eum ex promissione, sicut cum Sem, tamen
ex gratia & divina bonitate cum eo loqvatur. Pertinet au-
tem hoc votum Noachi ad divulgationem Evangelii per to-
tum orbem terrarum. Sem est seu stirps; Nam ex ejus po-
steritate seu linea natus est Christus, Ecclesia enim Judaorum
est, qui habuerunt Patriarchas, Prophetas, Reges, & ta-
men DEus ostendit hic ipsi Noacho, quod etiam misera gentes
habitature sint in Tabernaculis Sem, hoc est ventura ad so-
cietatem bonorum, quæ Filius DEi attulit in hunc mundum, re-
missionem sc. peccatorum, Spiritum Sanctum & vitam eter-
nam.* Hactenus B. Lutherus.

§. XI. Quamvis jam clarè satis ac perspicuè, verbis
B. Lutheri supra allatis, non tantùm liqveat, quomodò verba,
persvadeat DEus Japhet sint intelligenda, verùm e-
tiam quid sit habitare in Tabernaculis Sem. Quid

B 2

autem

autem per **Tabernaculum** sive tentorium propriâ & impropriâ significatione intelligatur, ad hæc exponere conducet. Sumitur vero *Tabernaculum* sive tentorium partim propriè, partim impropriè. 1. **Propriè** pro subitaneo quodam tecto seu domicilio, frondibus aut stragulis operto, vel ex lignis aut pellibus confecto, ad vitandum solis ardores, tempestatesq; imbrium, ac frigoris injurias, quod modo huc, modo illuc transfertur. In ejusmodi tabernaculis habitabant olim Patriarchæ, ut Noachus Gen. IX. 21. Abraham cap. XII. 8. Isaac, cap. XXVI. 17. Jacob cap. XXXI. 33. Israelitæ in deserto Exod. XVI. 16. &c. in cuius rei memoriam institutum fuit *Festum Tabernaculorum* Esdr. III. 4. Tabernaculum etiam jussu & mandato DEI constructum fuit Exod. XXV. 8. &c. unde *Tabernaculum DEI* appellatur Num IX. 6. &c. 2. **Impropriè** vero sumitur *Tabernaculum*, respectu usus prædicti *Tabernaculi DEI*, pro locis sacris cultui DEI dedicatis: qualia erant tum *Templum* tum *Synagoga*, Psal. LXXIV. 7. & Ezech. VII. 24. Deinde pro ipsa **DEI Ecclesia**, in qua DEUS se præsentem exhibet, & rite colitur Psal. XV. 1. &c. Hinc **Ecclesia** dicitur **Tabernaculum DEI**, allusione, non tam in specie ad Tabernaculum Leviticum, quam in genere ad Templum sive domum (quæ ut supra annotatum est, Tabernaculi nomine designatur,) ut per hoc significetur, DEUM nos in Ecclesia, quæ est domus ipsius, clementer curare, fovere, ac tueri, non secus ac pater familias studiosè curat, fovet, & tuetur eos, quos in domum suam recepit, ut refertur de Lotho Gen. XIX. 6, &c. Præterea accipitur **Tabernaculum** pro quavis regione vel loco in quo aliquis habitat, ut

tat, ut *Tabernacula nostra*, pro habitationibus populi nostri,
 Jer. IV. 20. Sic *Tabernacula Jacob*, pro regione, quam
 incolebant Israelitæ seu Judæi, Psalm LXXXII. 2. Jer. XXX.
 18. Unde hic loci, per **Tabernacula Sem**, intelligitur
 Regio posterorum Sem, id est Israelitarum & duplica-
 to tropo, **Ecclesia**, quæ ex Israelitis, posteris **Se-**
mi, colligenda erat, & ad cujus communionem vocandi
 erant sub **Evangelio posterii Japhet**, qui olim non ha-
 bitavere in *Tabernaculis Sem*, nec sortem habuere in *Jacob*,
 quemadmodum Apostolus eleganter ostendit Eph. II. 12.
Eratis illo tempore sine Christo, alienati à republica Israelis
&c. nunc autem (v. 13.) in Christo Jesu vos qui eratis ali-
quando longè, propè facti estis in sanguine Christi. Legatur
 totum caput, ubi clauditur vers. ultimo hisce verbis, *in quo*
& vos cœdificamini in habitaculum DEI in Spiritu Sancto.
 Hinc certum etiam est Christi fidem jam inde ab ævo Apo-
 stolorum in Europa maxime viguisse, & Asiæ partibus, quæ
 in sortem Japhet acciderunt, ut Historiæ tam Sacræ quàm
 Prophanæ luculenter testantur. Europæos autem esse ex
 posteritate Japheti, membro secundo demonstrandum erit,
 qui vero in veris Tabernaculis Semi habitent, & gratiâ DEI
 luce Evangelii fruantur, membro tertio patebit.

MEMBRUM SECUNDUM.

De quibusdam Filiis & Posteris Ja-
 pheti.

§. XII.

Filii Japheti in sacris literis enumerantur septem sc. *Go-*
mer, Magog, Madai, Javan, Thubal, Mesech & Thiaras,
B 3
Gen.

Gen. X. 20. &c. Porro filii Gomer: *Ascenas, Riphath & Thogarma.* Filii aurem *Javan, Elisa, Tharsis, Cethim & Dodanim.* *Ab his divise sunt insula Gentium, in regionibus suis.* Japhetus ut multarum Gentium ab ipso descendendum Patriarcha extiterat, ita & domus ejus in numerosas Gentes excrevit, Filiis ipsius plurimas familias atq; tanquam integras Gentes profeminantibus. Sicut enim Moses Chamo Africam Gen. X. 6. &c. Et Semo Persiam tribuit atq; Judæam, in quâ Messias nasciturus erat (quæ ideo etiam *Immanuelis terra* appellatur Es. VIII. 8.) Gen. X. 12. &c. Ita quoq; Asiam & Europam Japheto assignat: Hinc B. Lutherus in Commentario ad Gen. fol. 123. inquit; *Ad Europam etiam eam partem adjicit, quam dicimus Asiam cum Aquilone, quæ usq; ad mare mediterraneum, quæ Palestinam attingit, progreditur. Eam partem Aquilonarem una cum tota Europa tribuit filiis Japheti, qui sicut numero plures sunt, ita etiam ampliorem locum occuparunt,* hæc B. Lutherus.

§. XIII. primogenitus Japheti erat Gomer, ut superius ipsa enumeratione filiorum Japheti liquet, & 1. Pet. I. 5. videre est. Et *ἄρξ* idem est atque absolvens, consummans, finiens, ein *Bollender* / *á ἄρξ* perfecit. Ab eo descendunt populi, qui ad Septentrionem seu Aquilonem sese extendunt, & benedictionem Japheto factam incredibili multitudine uberrimè impleverunt. Hinc Propheta Ezech. XXXVIII. 6. *Latera Aquilonis Gomer & Togarma assignat.* *Gomerios* eruditi & imprimis B. Lutherus *Cimmerios* esse existimant; qui ultra Thraciam, circa Mæotidem paludem olim habitârunt *Cimmerioq;* Bosphoro nec non ejusdem nominis oppido appellationem reliquerint: inde vero colonias postea, cum loci eos angustia non caperet, juxta Aventinum emiserrunt, vel ut Herodoto placet, cum à Scythis in diversas regiones expulsi essent, vicinas ad mare Balticum oras sibi vindica-

dicarunt. *Cimbrorum & Cimmeriorum*, sanè eandem esse appellationem, Strabo lib. 7. fol. 203, testis est. Cimmerii proinde seu Gomerii duùm sunt generum: alii quidem Asiatici, alii Europæi, ejusdem utriq; capitis & stirpis, locis dirempti. Unde jam liquet, quid de illorum ratione sit sentiendum, qui per Gomerios intelligunt Galatas. Josephus lib. 1. ant. cap. 7. quos nunc inquit, *Græci Galatas vocitant, Gomerenses olim dicti sunt.*

§. XIV. De Galatis vero geographi uno ore testantur verum esse quod Hieronymus in præfatione libri secundi in Epistolam ad Galatas è Lactantio refert: *Galatiam provinciam esse minoris Asiae, in quam Galli aliquando venientes cum Græcis se miscuerint: unde primum ea regio Gallogræcia post Galatia nominata est.* Idem sentit Plinius lib. V. cap. 32. Et Strabo lib. 12. fol. 543. Pausanias autem in Atticis fol. 3. irruptionem & prælia Galatarum quibus minorem Asiam invaserunt, copiosè commemorat, & Svidas ait, quod Brenno duce ex oris occidentalibus Galatæ partim in Græciam, partim in Asiam infusi, tandemq; in provinciis ad Taurum montem juxta Halyn fluvium inter Bithyniam & Cappadociam subsederunt. Idem Pausanias eodem loco de Galatis id scriptum reliquit: *Galatæ inquit, in extremis Europæ oris ad vastum mare accolunt; Cujus fines adire posse navibus negant. Horum regionem omnis Eridanus perlabitur. Verùm ut Galli seu Galatæ appellarentur non nisi serò usus obtinuit. Celtas enim cum ipsi se antiquitus, tum alii eos nominarunt. Quare si res probè expendatur, non erit Josephi interpretatio huic adversa, sed pulchrè consentanea. Solam enim Galatiam provinciam, quæ in Asia minore est, cui Paulus dicavit Epistolam, Patriarchæ Gomerio ejusq; amplissimæ posteritati satis fuisse non est credibile sed Septentrionales terras tum in Asia tum in Europa occuparunt, veluti Galatæ, Celtæ, Cimmerii,*

merii, Cimbri Germani. Unde etiam Thargum Hierosolymitanum perspicue *Germaniam Gomer* attribuit. Accedit vocabuli *Gomer* cum *Cimmeriorum* & *Cimbrorum* & *Germanorum* συμφορία: Facit huc Geographorum calculus qui *Galatas à Gallis* ducunt. *Celtarum* etiam *appellationem olim communem fuisse omnibus populis ad Oceanum Occidentalem inter Eridani Rheniq; Istri & Albis ripas*, non modo è Pausaniæ verbis supra adscriptis, sed etiam à Diodoro Sic. Et Dione, nec non Cæsaris commentariis liquidum est. Accidentissime Strabo Lib. 7. fol. 280. *Romani inquit, mihi jure hoc illis nomen indidisse videntur* (de Germanis loquitur) *ὡς αὖ γνήσιος γαλάτας φερέζεν βυλόμενοι, γνήσιοι γὰρ οἱ γεγενητοὶ καὶ τὴν ῥωμαίων ἡγάλητον*, id est, *cum Romani ostendere vellent eam gentem, quam Germanam vocamus, veros esse & propriè dictos Galatas Germanos nuncuparunt*. Romana enim dialecto *germanum* dicitur quod *syncerum* & *genuinum* est.

§. XV. Probatur idem in *Ascenas Gomeri* filio primogenito, qui *Japheti Nepos* est ut *Gen. X. 13.* & *1. Par. I. 6.* Quod enim hic *Ascenas* sit *Pater Germanorum*, quos alii *Aschanios*, alii *Teutones*, *Tacitus* *Tviscones* appellat, *Die Teutschen* / communi ferè consensu docent viri docti, cui sententiæ *B. Lutherus* favet in *Comment. ad Genes. fol. 124.* Ac ut quibusdam placet significatur *Ascenas* vel *Ascenes*, *Hebr. אֲשַׁנַּן* idem ac *custos* sive *sacerdos ignis* ab *אֵשׁ* ignis & *שָׂרֵף* *præfectus* & *custos sacrificiorum* & *religionis*: atq; hinc dictam volunt *Ascaniam*, quæ *Regio* & *lacus* in *Bithynia* fuit, inter urbem *Nicomediam* & *Niceam*, cujus *Regionis* *Strabo* meminit *Geograph. Lib. 12.* Sed in tantæ antiquitatis & obscuritatis negotio præfidenter quidquam asserere quis sustinebit. Nulla ferè res sub sole tam difficilis explicatu quam *migratio gentium*, & *gentium in gentes* vel
conter.

conterminas, vel longius distitas commixtio. Videatur insignis ille ac eruditus vir Samuel Bochartus in Geographia ejus Sacra, p. 741. Ut & Excell. Dn. Kirchmaierus, Academiae hujus Prof. & Orator celeberrimus, Hospes meus observanter colendus, in commentario ad Tacitum pag. 54. & 55. Alii aliter existimant ac statuunt: sed in re libera, cuiq; ad placitum libere eligere licet; modò tamē hac in re certi esse possumus juxta consensum omnium doctissimorum virorum, nos esse ex Japheti posteris; sive autem id per Gomer & Ascenas, vel Magog ac Scythas, aut per alium filium Japheti, quod parum refert; verum hoc summum est, nos hisce signis gaudere posse, quod beneficio DEi habitamus in Tabernaculis Semi.

§. XVI. De Japheti filio secundo-genito, itidem aliqua notatu digna veniunt, quod nempè ex eo non tantum Turcæ & Tartari, verum etiam Scytharum populus originis suæ primordia hausit, quorum quoque non pauci fruuntur benedictione Japheti, **habitando in Tabernaculis Semi.** Ipsum nomen quod attinet, significat Magog, Hebr. מגוג / quasi de tecto, ut quibusdam placet, *die vom Dach* / vel virum de tecto, seu sub tecto & tabernaculo habitantem; nam מג significat tectum. Quod adeò quidam ex posteris Magog, mysticè habitant sub tecto vel in tugurio aut tabernaculo Semi, id comprobatur quotidiana experientia, quatenus Gothi, Sveci, Dani & multi alii Septentrionales vere Christiani ex populo Scytharum vel Magogo, ut historiae testantur originem habent, quibus hodie, DEi gratia, benedictione Japheti etiam frui contingit.

§. XVII. Scytharum populum, originem adeo traxisse ex Magogo, testatur Josephus Lib. 1, cap. 7. dum inquit, *Magogus Magogorum à se dominatorum fuit Author qui ab ipsis vocantur Scythæ.* Et Jacobus Bergomensis in supplemento

mento Chronicorum fatetur, Magogus, Magogas gentes instituisse, quæ à Grecis Scythia appellatae sunt, & à quibus Scythia & Gothia nomen habuerunt. Deinde à Scythis Gothos non tantum, verum etiam Danos ac alias gentes prognatas esse, Historicus Hermannus Schedels Senensis in Epitome orbis adstruit fol. 18. Ungari, Gothiq; universi ex Scythis emerferunt: Dani quoq; & Turca ex Scythia prodierunt; ea quippe natio ex Magogo Noe nepote ortum habuit. Idem fol. 133. constat; ait enim eam gentem quæ pro Getica dicta est Gothica, à Scythis originem habuisse; Scythas vero primos esse in Europa sub septentrione, & ad Tanais limitem, paratissimos ad mortem; & superiores sedibus Ostrogotos, Vestrogotos inferiores, hos ab Oriente, ab Occidente illos plagâ, in quam versi habitarent, fuisse in patria appellatos: ac aliquot retrò pagellis; Secundus filius Japheti Magogus: à quo Scythia, & à quibus Suecia & Gothia nomen habent. Denominationem Gothorum hanc addit Isidorus Lib. 9. Orig. fol. 75. Gothi à Magog filio Japhet nominati putantur, de similitudine ultimæ syllabæ, quos veteres magis Getas quam Gotbos vocaverunt. Barth. Angl. de propr. rer. Lib. 15. cap. 47. Daci Gothorum soboles, dicti quasi Dagi è Gothorum sc. gente procreati. Gens si animo seva contra hostes, tamen naturaliter pia est, & mente placida erga quoslibet innocentes. Item cap. 71. Gothia creditur à Gog filio Japhet vocata. Gens Gothorum genere armorum terribilissima, de quarum sobole maxima pars Europa & Asia creditur populata. Getuli in Africa, Amazones in Asia, ex Gothorum prosapia processerunt. Item cap. 153. Suecia est Regio inferioris Scythia in Europa, à qua tota Gothia, quæ inter Danorum & Noricorum æquilonarium regna, maxima est Regio, hodiè nominata, habens mare Balticum ab Oriente, Oceanum Britannicum ab Occidente. Noricorum prærupta & populos à Septentrione, à meridie vero Daco-

*Dacorum confinis innitatur. Gens valdè robusta, cujus mi-
litaris potentia quondam totius ferè Asia & Europa partem
maximam multis temporibus edomuit, quos aggredi tempore
Alexandri M. Græcorum audacia extimuit. Julii etiam Cæsa-
ris invicta potentia cum Gotbis, Noricis, & Aquilonaribus
populis aliis congregi formidavit. Et Historiographus Petrus
Trecensis, in Rudimento Novitiorum, refert de origine
Danorum, sciendum inquit, quod Dani, ut veteres testan-
tur historiographi, tempore Seruch proavi Abrabæ, regnum
quod nunc Dania dicitur, intraverunt, venientes de Gothia,
qui quidem Gothi, teste Papiæ, de Gog filio Japhet orti sunt &c.
p. 315.*

§. XVIII. Hæc testimonia ne quis cogitet temerè al-
lata esse, sciet ut & antea dictum est, non parvi interesse
cognitionem habere de primordiis gentis suæ, ut certus eva-
dat, ad se suamq; gentem pertinere promissionem illam so-
latio plenam Japheto promissam. **Japhet habitabit
in Tabernaculis Semi.** Sed dicat quis, nonne plu-
rimi ex posteris Japheti promissionem patri suo factam ab-
jecerunt, & non modò in Tabernacula Semi non successe-
runt, sed eadem quoque destruere conati sunt, num ex Mago-
go progressa etiam est gens Christiano nomini infensissima,
eujus adversus Ecclesiam prælia Ezech. XXXVII. 2. & XXXIX.
6. Item Apoc. XX. 8. describuntur; ubi *conjunguntur Gog
& Magog &c.* Quomodo itaque illi fruuntur benedictione
illa Japheti, quærat aliquis? Resp. novimus enim in omni
fere domo vel familia, imo in Patriarcharum & sanctissimo-
rum hominum, aliquem perversum & impium inventum
esse. In Adami Cain, in Noachi Cham, in Abrahami I-
smael, in Isaci Esau, in Jacobi filios ejus satis multos, pa-
rum piè viventes; In Davidis Absolon & Ammon: Imo,
in ipsi-

in ipsius Christi Salvatoris familia & Schola Judas Ischarioth. Itaq; non mirum est tales inveniri in familia & inter posteros Japheti, vera quoniam reperiri novimus verba sc. ipsius Christi Matth. X. 36. & Mich. VII. 6. *Inimici hominis sunt domestici eius.* De his itaque & cæteris Japheti posteris ejusdem farinae, hoc in negotio non multum solliciti, ad Membr. tertium nos conferamus.

MEMBRUM TERTIUM.

De signis ac notis, quibus certi esse possumus nos in Tabernaculis Semi habitare, nostramque veram Christi esse Ecclesiam atque orthodoxam, fundatam verbo DEI & Sacramentis.

§. XIX.

Hocce membrum, quoniam luculenter satis, ac doctè in loco de Ecclesia à Theologis nostris pertractatur, ideoq; pauca saltem hic in medium proferam, quibus probari potest; undenam infallibilia *πρωτότυπα* sive *κεντήρια* veræ Ecclesiæ peti possint ac debeant. Quandoquidem vero acriter satis inter nos & Jesuistas hodiè controvertitur: utra scilicet inter duas istas Ecclesias indubitato vera sit, nostra Ecclesia, Lutherana vulgo dicta: quæ est verè Apostolica, Catholica; aut Romanensium? In hac itaque controversia rite decidenda, consultissimum fuerit, ut à generalioribus ad specialiora, à notioribus ad minus nota, per quandam *αφαίρεσιν* sive remotionem falsorum *κεντηρίων* veræ Ecclesiæ progrediamur. Pontificii à parte sua adferunt notas, quidam plures, quidam pauciores; ut sunt v. g. nomen, Ecclesiæ Catholicæ, dura-

duratio, antiquitas, & si quæ sunt aliæ. Verùm hæ notæ vel sunt communes etiam aliis catibus, vel temporariæ, vel Ecclesiæ Romanæ prorsus non conveniunt. Nomen Catholici siue sumatur pro universali siue pro rectius sentiente, non competit Ecclesiæ Rom. Nec enim est universalis per totum terrarum orbem diffusa; cum plures dentur Ecclesiæ, Orientales, Meridionales, Septentrionales primatum Pontificis R. non agnoscentes. Nec orthodoxa (in hac enim significatione quoq; particulares Ecclesiæ, tanquàm partes totius homogenei; Catholicarum nomine venire possunt) quia cum sacris literis magnam partem non consentit. Duratio, licet sit aliquot seculorum, non tamen ab Apostolorum temporibus est deducta. Quæ siquidem tum temporis erat pura & illibata virgo, in meretricem magnam tandem degeneravit. De Antiquitate quidem Tertullianus dixit. *Omne antiquissimum verissimum: adulterium verò quodcunq; posterius;* Sed hoc ipsum de antiquitate primæva, non à principio aliquo proximior ducta; de aurea, non plumbea; de cana & sana, non vana & erronea intelligendum venit. Nobis antiquitas est Christus, quem nolle audire, manifestus est interitus.

§. XX. Fundamentum aded & argumentum nostræ sc. Lutheranae doctrinae, est unicum istud **Semen benedictum**, *in quo benedictionem consequuntur omnes gentes*, Gen. XXII. 18. hoc est, **Solus & unus Christus**, Gal. III. 16. *Cui testimonium perhibent omnes Prophetæ, quod remissionem peccatorum accipiant per nomen ejus omnes, qui credunt in eum Act. X. 43.* & quidem sine operibus legis, sic definiente Hierosolymis concilio Apostolorum, aureo hóc promulgatò canone; Pseudo-Apostolis, justitiam operum urgentibus opposito: *Quid tentatis Deum, imponen-*

tes jugum, legis, super cervices discipulorum, quod neq; nos, neq; Patres nostri portare potuimus: sed credimus in nomine Jesu Christi nos salvari quemadmodum & illi salvati sunt Act. XV. 10. 11. Hæc doctrina fuit omnium Patriarcharum, omnium Prophetarum, omnium deniq; Apostolorum. Ita ut Apostolus etiam Angelo de cælo Anathema dicere haud dubitat, qui aliud Evangelium attulerit, Gal. I. 8. 9. Hæc ipsa doctrina & fides jam inde ab Apostolorum temporibus, sanctorum Patrum & piorum, quorumvis, hoc est, Electorum fuit propria. licet nullo non tempore Zizaniorum aliquid ei aspergere Sathanas studuerit. Hæc ipsa doctrina & fides, nostræ, hoc est, Lutheranae Ecclesiae propria; & usq; a deo est propria, ut ob id solum Romanenses, nostram Ecclesiam cane & angve pejus oderint, quod explosis propriorum operum ac meritorum scoriis, rejectis cultuum humanitus excogitatorum quisquiliis, repudiatis propriis nostris pro peccati sive culpâ sive poenâ satisfactionibus, in uno & solo semine mulieris Christo servatore acquiescimus, in solo ipsius merito, gratis nobis per fidem imputato, spem salutis omnem fixam locatamq; habemus, ipsum solum cum Patre & Spiritu Sancto adoramus, invocamus, glorificamus: Ab ipso solo liberationem ex omnibus ærumnis & calamitatibus solatium & tandem vitam æternam indubitato expectamus.

§. XXI. De cætero, quando investigatio de vera Ecclesia instituitur, non de ipsis personarum individuis, aut de Electis ipsis quaeritur, quinam sint Electi, aut quibus notis à reliquis Ecclesiae membris sint dignoscendi? Notitia etenim istorum discreta sub hominum aspectum & *νεραν* minime cadit: & *solus Deus est, qui novit suas*, 2. Tim. II. 19. Esse quidem in vera Ecclesia Dei aliquos electos, vereq; fideles, mini-

minime est ambiguum: & in quibus pro tempore vera sit fides, & præsens Spiritus Sancti gratia, saltem confusâ aliquâ notitiâ haud obscurè colligitur. Verùm quia fides in multis est *αἰσθησιμῶν*, & multiplices sunt cordium humanorum recessus, & imagines rerum per quàm fallaces: ideoq; à priori & quoad certitudinem sive scientiam discretam, nihil de hoc *ἐπιμαρτυρησάμενος* statui potest.

§. XXII. Et illud etiam extra controversiam hoc loco est; quod Ecclesiæ simpliciter sic dictæ, notæ esse possint, qualiscunq; verbi divini prædicatio, qualiscunq; etiam sacramentorum usus? Nam in affirmantem fortè ipsi quoq; Romanenses nobiscum haud invitè concedent: Et tamen inde ad veram statim Ecclesiam subsumi posse, negabunt. Differunt enim plurimum, esse Ecclesiam aliquam, cui inesse potest etiam falsitas: & esse Ecclesiam veram: perinde atquè *Christus inter discipulos, & verè discipulos suos*, Joh. VIII. 31. distingvit: & vulgo inter fideles, & verè fideles, ingens esse discrimen, facilè agnoscitur.

§. XXIII. Verùm quæstio est propriè de cætu Ecclesiæ universo, in quo vel magnam, vel aliquam saltem partem fidelium, & salvandorum partem DEUS sibi colligit. Quisnam coetus, pro vera Christi Ecclesia agnoscitur & haberi debeat, & ex quibus notis, & quidem infallibilibus ea dijudicari possit? Quòd Ecclesiæ sive cœtui Lutheranae Ecclesiæ, veræ notæ verè competant, ut sunt pura doctrinæ Cœlestis prædicatio, & sacramentorum à Christo institutorum legitimus usus, hinc certò colligere est; nam ubi ad *συννατίθεσιν* vel collationem cum norma provocamus, & ad principium religionis nostræ respicere volumus: nobis analysis ultima non est alia, quam quæ fuit Prophetarum; *αὐτὸς ἔφα*, id est, ipse (Dominus) dixit, os Do-

os Domini locutum est. Pontificiis contra, Papa enim Romanus dixit, quippe quem supremum controversiarum iudicem infallibilem constituunt: & quid dicam de Calvinianis ac Socinianis, quibus, ratio dixit, utpote non aliter sibi persuadentibus quàm DEum hominibus ad credendum incomprehensibilia rationi minime proponere. Catabaptistis vero & Fanaticis aliis, monitor, aut suggestor nocturnus, vel Spiritus collocutor hoc dixit. Nostra itaq; Ecclesia, cum *superstructa sit fundamento Prophetarum & Apostolorum* ut Eph. II. 19. existente *imo angulari lapide ipso Jesu Christo*, v. 20. ex fructibus suis, vera conscientiarum afflictarum consolatione, agnosci queat, cum propter meritum bonorum operum Pontificia; propter abnegatam satisfactionem Christi Sociniana & Fanatica religio ad dubitationem, quin & desperationem abducatur; *Scriptura vero οὐκ ἐπι-εἰρησίου*, id est, *ad consolationem data sit*, Rom. XV. 4.

§. XXIV. Qui itaque certus esse velit, an hic aut ille cœtus verè sit domus DEI seu Ecclesia; ei inquirere incumbit, an congregatio illa, de qua dubitat, vitam & salutem in Christo unicè quærat; idque è doctrinæ Apostolicæ & Propheticæ præscripto. Firmatur assertio luculento exemplo descripto, Act. II. Cùm enim Judæi, corde compuncti ad concionem Petri; quærerent, quid faciendum ipsis esset, ut salvarentur: respondet D. Petrus, v. 38. *Resipiscite & baptizetur unusquisq; vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus Sancti.* Nemini ergo dubium esse potest, quin vera Ecclesiæ membra sint, qui Christo superædificati sunt, per syncerum Evangelii prædicationem, & legitimam Sacramentorum administrationem, sincera adeò verbi prædicatione

menta Ecclesiam constituat, regat, ædificet, & conservat, ut Eph. IV. 12. & 1. Tim. III. 15. patescit.

§. XXVI. Possent adhuc plura argumenta adduci ad hoc membrum confirmandum, sed quoniam, ut ab initio hujus membri dictum est, plurimi, ex nostris, Theologi, prolixè de hac materia scripsere; hisce paucis ac simpliciter prolatis lubens supersedeo: Cæterum, hinc tamen satis liquidum esse censeo, Ecclesiis Lutheranis jure justo tribui elogium veræ Ecclesiæ; quandoquidem ut superius probatum est, Lutherana Ecclesiæ non admittunt aliud verbum, tanquam aptum fidei & morum normam, quàm quod Prophetæ, & Apostoli reliquerunt: nec aliud agnoscunt salutis fundamentum, quàm Jesum Christum: nec alia admittunt sacramenta, quàm quæ ipse Christus instituit; videlicet, baptismum & Cœnam Dominicam: nec ullis suis qualitatibus, dispositionibus aut operibus, sed soli gratiæ divinæ, meritis Jesu Christi universam præsentis & futuræ vitæ felicitatem unice acceptam referunt: operibus interim bonis, sed non quæ homines excogitarunt, sed quæ DEUS præscripsit, operam sedulo dandam esse, literas sequuti sacras, fervidè docent. Ecquis itaque negare poterit, quod Ecclesia Lutherana non sit vera Ecclesia? quivis potius verè Christianus affirmet omnes & singulos in universo orbe, hanc religionem profitentes ubicunque locorum vel terrarum versentur, habitare in Tabernaculis Semi, & frui promissionibus de Christo impletis.

MEMBRUM QVARTUM.

Expendens Goropii Becani circa hunc locum explicandum corruptelas, easq; diluens.

§. XXVII.

Ex iis quæ hætenus allatæ sunt de benedictione Patriarchæ

chæ

chæ Noachi, in qua singulari spiritu, ac instinctu divino ductus, Japheto filio spem certam facit obtinendæ gratiæ haud vulgaris, quando ipsi promittit, fore, ut sui aliquando posteris in Tabernaculis Semi sint habitaturi; dispalescit haud dubiè, quousq; & quàm longè sese porrigat **Japheti Salus**, assertum est, hoc nomine significari non unum aliquod individuum, utpote solius Japheti personam; nec hanc illamve nationem saltem aut singularem gentem aliquam, nec nisi unum aliquod Regnum; sed Japheti posteros in universum, qui ab ipso genus ducunt, quorum fuisse diximus, & esse hodieq; dicendum receptaculum & domiciliorum terminum non tantùm Europæ sed & Asiæ partes: cum spatia ista in sortem Japheti ceciderint; si iis (uti est habenda) fides, qui studium suum atq; curam circa hoc negotium explicandum distrinxerunt, nec indiligenter, neq; infeliciter: agunt de his B. Doct. Waltherus in Officina Biblica pag. 746. & Bochartus in Geographia Sacra pag. 170. Assertionem hanc quanquàm vero maximè consentaneam existimemus, utpote quæ principio, unde deduci debet (veritati nempe sacrarum literarum) usquequaque congruere videtur: nihilominus tamen eam non parùm labefactare conatus est **Joannes Goropius Becanus**, duarum quondam Reginarum Archiater in Aula Hispalensi, qui in libris suis **Gallicorum** atque **Francicorum** passim hoc Patriarchæ dictum ad **Francos**, & convenientissimè, ut quidem putat, ad **Franco-Gallos** restringit: idq; propter nominis **Francici** cum **Japheto** in significatione convenientiam ac propinquitatem, ut & alias ratiunculas deinde ex Authore producendas. **Quemadmodum vero veritatem**

ritatem non leuiter hoc modo impetit, aut saltem luci ejus obscuritatem aliquam offundit, dum scripturis sensum inferendo alienum, alias Gentes pariter in oraculo citato intellectas, à benedictionis hujus communionem, aut plane excludere parat, aut sanè ejus respectu, Francis multo statuit inferiores; operæ pretium me facturum existimavi, si ista dicti Authoris loca quæ hoc negotium concernunt traduntq; studio paulò diligentiori expendere & examinarem.

§. XXVIII. Ne autem quisquam temerè aliquid hinc vel dictum vel factum esse meritò possit objicere, aut fidei nostræ integritatem desiderare, quasi injurii in scriptorem, placitis illius sensum affingamus, quem non gignunt verba; producemus ipsum, Lib. Francic. I. pag. 18. hunc in modum differit adhæc, **Dilatet DEUS Japhet, & habitet in Tabernaculis Sem.**

*Quod si de hujus promissionis diuina Japheto per Patrem suum Sancitæ fonte vox aliqua derivanda esset quæ totam eam significatu suo complecteretur, num alia commodior inueniri posset quàm Vrancorum appellatio, quæ sic eos depingit & exprimit, ut homines dicat esse palmites suos ramosq; longe extendentes? Haud equidem video, nisi alius magis quam ego Lynceus eam mihi com-
monstret. Extendit vitis palmites suos, extendit arbor suos ramos; neutra quidem ante contenta, quam omnem latitudinem, cujus natura capax sit, expleret. Qui cognationis gradus genealogiamq; cujuspiam gentis inquirunt, arborem facere solent, cujus ramos tam latè longeq; diffundunt, quam cognatorum soboles sese porrigit: eleganter illi quidem & ingeniose id meditati, at longe elegantio-rem in Vran-
ci nomine similitudinem expressam videmus. Cum enim Franc non cujusvis arboris, sed propriè vitis ramum designet; fit ut Francus is dicatur, qui perinde atq; vitis longe latèq; ramos in omnem*

*mnem partem diffundit; in quo quanta sit vis, ipsa vitis natura demonstrat, cujus ego in hac regione, quantumvis vitibus iniqua, brachia dimensus sum quàm Sexaginta pedes longius à matrice trunco progressa. Quod nisi putatione coërcerentur, quis tandem esset finis licentia? Jam videmus proprium vitis esse, sic aliena invadere, ut veluti Domina omnium supremum semper occupet, & arborum ramos sic vinciat, quasi servi essent catenis alligati: tantaq; ea in re utitur licentia, ut quamvis collibus maxime gaudeat, nulli tamen arbori parcat; adeo ut & salices ad ipsas paludes & stagna vincula ferre cogantur: quod in Ferrariensi agro & aliis locis Pado vicinis licet videre, hæc **Becanus**. Urget v. in adductis verbis præcipuè nominis Francorum cum dicto nostro convenientiam; dum significationem totam promissionis ejus complectatur ista, adeo ut nulla alia commodior inveniri possit vox, quæ eam sic exprimat & depingat, atq; hæc eo dirigit omnia, ut obtineat, Noachum præcipuè in illa benedictione intellexisse **Francos**; utpote in quibus ipse eventus consecrationis, & fructus suum sortiantur complementum. Cum enim illi non minùs quàm nomen, quàm quàm ipsam rem, sint ex ingenio ipsius, isti, qui haud aliter ac vitis suos expandunt diffunduntque ramos, suosq; dilataverint Imperii fines; quicquid oraculo hoc intenditur absolvi, sibi persuasum habet: Sic namq; paulò post expressit animum **Becanus**: Huic igitur Japheti consecrationem majores potius quam alii cuiquam arbori conferre voluerunt; eo cuius naturæ rerumq; civilium perito judicantes, sibi non secus inter homines atq; viti inter arbores jus esse, ut omnium fines aliorum occupent, & cæteris hominibus tanquam ministris utantur, ea tamen id lege, ut non minus quam vitis muneris hominibus, quos superarint, rependant.*

§. XXIX. Quod hic primò concernit rationem à convenientia appellationis nominis **Franck** cum ipsius promissionis verbis, quanquam ea explicatio in dubium revo-
cetur, meritò (cum novitatem quandam sapiat, & obtorto velut collo huc videatur tracta) quod ex diversitate literarum F. & V. suspicari difficile non est; eam tamen, quo ad deductionis rationem, in medio relinquimus; cum nostri jam nec instituti, sit nec operis, anxiori cura in originem ac derivationem vocum nunc inquirere. Habeat se ita res, tantisper, sitq; ista vis vocis **Franck**, quam esse affirmat **Goropius**: exprimat præterea & depingat meliori ratione consecrationem hanc Noachi: Ecquid inde concludendum: Francos hinc intendisse Spiritum Sanctum? Liberalis admodum esset qui affirmativam sustineret proferre. Neque illud promptum foret de rebus his secularibus adserere (cujus non unum posset exhiberi exemplum) multo minùs in Sacrarum literarum interpretatione, ubi meris conjecturis agere nefas habetur. Ac solet quidem ea res, præsertim si etiam contra veritatem fiat, illatabili Authorem suum coarguere eventum. Oportuit ergo tantum virum, cum haud ignoraverit, à notatione nominis infirma duci argumenta, consulere scripturam ipsam, eamq; ex semetipsa interpretari, quod si fecisset, longè aliter se rem habere deprehendisset.

§. XXX. Ut planum fiat id quod dictum est, neglectà Scripturà S. non tantum à vero declinasse **Goropium**, sed etiam vim oraculo divino intulisse; Propius inspicienda verba Textus: Ista verò, cum instinctu Spiritus Sancti proferat Patriarcha, in eo est constitutus, ut ex ordine Japheto jam, sicut priùs Semo, benedicat. Benedixit verò non tantum ejus personæ sed posteris quoq; illius, in ipso,

pfo, iisq; universis, nemine ex communi ista consecratio-
ne excluso. Probat quod diximus ipse effectus benedictio-
nis atq; scopus. Respiciebat enim illa Messiam, salvatorem
mundi, qui ex eius posteris aliquando oriturus erat, per quem
non solum Semo & ex eo natis, sed & omnibus in universum
hominibus liberatio & redemptio promittebatur. Quem-
admodum jam latissimè & ad omnes posteros suos Semi bene-
dictio se extendit, ita & Japheti æquè amplos terminos habe-
bat; hoc est sui participes fecit omnes, qui ex se aliquando
nascerentur; adeò ut hujus benedictionis ejusq; communi-
tatis intuitu, nemo alii possit jure præferri; cum omnes æ-
què respiciat. Quæ cum ita se habeant omninò, quid hinc te-
nendum sit, quidq; de opinione illius, quo cum nobis in
præsenti res est, haudquaquam obscurum esse poterit.

§. XXXI. Quà fide de cætero circa hoc explicandum
oraculum versatus sit, ex verbis ejus quadantenus constare
poterit. Præsupponit nempe, idq; falsò, prædicari hoc di-
cto tantum potentiam Japheti ejusq; posterorum mundanam,
quòd bellorum glorià & successu celebres pluribus gentibus
aliquando jugum Franci sint imposituri, adeoq; imperii sui
fines longè lateq; prolaturi. Illud vero μέγα λίαν αἰτήματα ac
πεῖστρον penè ψεῦδος. Dicitur namque illud præter omnem
veritatem, cum Patriarcha benedicens filiis suis, defunctus in
prioribus verbis, Dilatet DEus Japhet, & habitet in Tabernaculis
Sem, istà benedictione, quæ res concernebat civiles ac
bona corporis, totus in sequentibus est occupatus in vovendis
& prædicendis spiritualibus bonis. In Messiam certè hinc in-
tendit digitum, qui, ut ex Semi progenie oriundus erat; ita
suo adventu Japhet etiam, ac ejus gentibus cœlestem ac æ-
ternam allaturus sit felicitatem, uti paulò ante disseruimus.
Adjiciet his robur ac declarationem quæ **Reverendissi-**
mus

mus Dn. D. Calovius in hoc oraculum commentatus est, ad cap. 9. Gen. vers. 27. pag. 734. & quidem in hæc verba; **habitetur in Tabernaculis Sem.** *Verum enimvero, inquit, quum hic non Semi, sed Japheti benedictio habeatur, referendum est verbum illud habitetur, uti aliàs ordinariè ad nomen proximum, unde rectius pleriq; alii omnes de Japhet intelligunt, qui habitaturus dicitur in tentorio Sem, non quod se per sortem in habitationem Sem & posterorum ejus diffusurus sit, ut Corn. à Lap. vult, de dilatatione enim & amplificatione posteritatis jam antea actum erat & obtigit unicuiq; sua peculiaris sedes: sed quod ad Ecclesie consortium aggregandus fuerat Japhet, quæ per tabernacula Sem indigitatur, in quibus Ecclesie sedes erat, uti Delrio, Pererius & alii Pontificii cum Chryostomo & Hieronymo hæc ad literam intelligunt. Et post pauca, p. 735. Accessit Japhet ad tentoria Sem, non loci mutatione, sed animi, quem DEus persuasit. Tabernacula Semi sunt; ad ea accedit Iaphet; non definitur, sintne conjunctim habitaturi, an Iaphet, deficiente Sem, per se separatim; non dicitur: in tabernaculis cum Sem, sed simpliciter: in tabernaculis Sem. Quæ non Christiani tantum sed etiam nonnulli è Judæis de advocazione in gremium Ecclesie accepere.*

§. XXXII. Quod si hæc & similia, ut sanè potuisset, vir aliàs ingenii & acuminis magni, æquâ judicii lance ponderasset, nequaquam tantam sententiæ suæ subjunxisset approbationem gaudioq; exultasset, uti factum cernimus. Ita enim ob errorem ad inventum suum, quo titulo, citra injuriam appellari potest, sibi placet, ac si æquissimas habeat causas, ob quas intime in sinu gaudeat. Verba ejus p. 19. hæc sunt. *Hic illud agimus, ut nemo non clarè cernat, quàm apta sit vitis & Iapheti comparatio, quàm significanter Vran-*
ci nos

ci nomen eam exprimat, quàmq; hac sacris literis sint consen-
tanea. Sanè si Divinum Mosen rogemus, nemini dicet con-
cinnius veriusq; hoc nomen quàm Japheto convenire secun-
dum eam quam habet in Cimmericorum sive Janigenarum
lingua interpretationem. Primum igitur Vrancum post dilu-
vium dicemus Japetum fuisse, & eum quidem ex divina pa-
tris consecratione ita nuncupandum, si æquum est ut illo titu-
lo quisquam honoretur, quo eximia & summa ejus dignitas
intelligatur. Et Paulo inferius postquam nonnulla de con-
gruentia vocis Vranc quoad significationem cum Vite,
nec non origine vocabuli Vitis differuit. Nunquid, inquit,
inveniri queat concinnius vel rebus vel nominibus, quàm
hec sit Francorum ad Vitem conformatio, cum qua
non minus reapse quàm nominis origine consentit? Japetus er-
go optimo jure de patris consecratione Vrancus est nominatus,
quòd latissimè & genus suum & imperium inter mortales, per-
inde atq; inter arbores generosa vitis, extendat. Ceterum
quia licet verissimam & cuius nostratium facillimam ad in-
telligendum, inauditam tamen hæctenus hujus vocis inter-
pretationem prodo. Et lib 4. Francicorum p. 106. ait. Mi-
ror si quis tam omni sensu careat, ut pulcerrimam banc rerum
& Symbolorum consensionem non admiretur, & non magis
admiretur sic linguam nostram cum sacris Mosis libris qua-
drare, ut inde videri possit vocum suarum rationes mutuari.
Apertè hic pronunciat se illud agere, ut quisquis cernat, quàm
consentanea sint illa sacris literis, quæ docet.

§. XXXIII. Atqui, si juxta Autoris informationem
Mosen hagiographum rogemus, quid hic sentiendum sit?
metuendum profectò ne iudicio illius & censura talis cri-
minis pronuncietur reus Medicus, quale nunquàm expe-
ctasset, & longissimè quidem à se remotum vellet. Quan-
doqui-

E

doqui-

doquidem enim ut à Reverendiss. Dn. D. Calovio, in antecedentibus docti sumus, non agit hoc oraculum de ulla alia dilatatione, quam eâ, quâ ad Ecclesiæ confortium aggregandus fuerat Japhetus: nec ullus alius sensus literalis agnoscendus hic, neq; commento gemini sensus locus relinquendus; Respondebit Moses fabulas cudisse atq; vendidisse hic **Goropium**, atq; ejusmodi figmentum excogitasse, in quod seriò sit animadvertendum. Latissimo quidem & jucundissimo augmento creverat huc usq; Japhet, qui tot gentium origo ac fons extiterat. De isto tamen hic ne quidem minima fit mentio, multo vero minùs sermo est de gente quæ in modum vitis crescat, & jus habeat aliorum omnium fines occupandi cæterisq; omnibus per fas nefasq; imperandi. Japhet etiam (si ea interpretatio vera est vocis **Vranc**, quam parasiticè suppeditat **Goropius**) non incommodè hoc nomine posset appellari, cum varios liceat honorum titulos istis dignis attribuere. Isto autem ex divina patris benedictione non nuncupandus, quippe quæ, ut demonstratum est, aliò, non eò collimabat, quò collimat **Author**. Neque est ut colligere subolfacimus **Goropium**, statim & prona & vera ista reciprocratio: Si nomine **Vranc** tanquam honoris titulo, insigniri potest Japhet, vice versâ Japheti appellatione, & ipsi quæ sunt facta promissa, solis Francis competant. Illud est quod pernegamus.

§. XXXIV. De Liliis quoque **Francorum** insignibus nonnulla immiscet, quæ dubiam & lubricam suam reddunt fidem. Specioso etenim figmento, vel ipso novitatis nomine suspecto tradit, ista *lilia cælitus esse demissa ac diomæa, jam olim ætate Noachi Francis usitata.* **Com-
menti**

menti hujus occasionem haud dubiè nactus ex iis, quæ de hujusmodi donis, ancilibus, puta de Cœlo delapsis, apud veteres Scriptores notaverat Romanos. Erant quoq; hæc ab ipso ita proferenda ut rudibus faciliùs imponeret & suum pariter errorem, ac fallendi animum evidentiùs proderet eruditus. De iis hunc in modum pag. 94. Francicorum lib. 1. *È vetustissima Francorum disciplina Francorum insignia examinemus. In primis itaq; lilia tria, quæ hætenus in Francorum Regum scutis spectantur, jam olim Noachi atate in usu Francis fuisse dico, & illa quidem Cœlo delapsa, propterea quòd non quævis lilia, sed Cœlestia essent; Nec ea alii divinitus data quàm populo Francorum. Longè enim aliter nos deopetea lilia interpretamur, quàm ii qui verarum originum in gentium primordiis investigandis ignari ex crassa ignorantie sue caligine miracula comminiscuntur. Non negamus magnum miraculum, atq; adeò maximum, in liliorum insignibus delitescere; sed longè aliud illud fuisse dicimus ab eo quòd vulgo persuasum videmus. Sicut enim è divini oraculi promissione Noacho facta Japetus Franci nomen accepit, ita & lili Cœlestis accepit insigne. Quod autem majus miraculum queat cogitari, quàm Noachum ante tot seculorum intervalla Japeto predicere, aliquando fore ut habitet in Tabernaculis Semi, & Canaan sit servus ejus. Hujusmodi assertionem de his cœlestis originis recitasse, quàm sit refutasse; possemus ulteriori supersedere sermone: quoniam tamen nonnulla notari hîc merentur; nos vero isto etiam labore levet Johannes Limnæus de Notitia Regni Franciæ, ejus operâ utemur. Verba ejus Lib. 1, cap. X. p. 256. ita se habent. *Quæ Francorum, eorumve regni insignia olim fuerint, adhuc sub judice lis est, quæ vero hodiè Regni, Regisve sint, incurrit in oculos. Sunt, qui antiqua Francorum insignia tres**

bufones vel ranas fuisse, &c. Et post pauca *Caterum*, inquit, hodierna insignia in oculos incurrunt, ut de illis non liceat ambigere, qualia sint, postquam lilia esse omnibus persuasum. Quando autem usus eorum coeperit, an hominum inventum, divumve munus sint, qui numerus, qui color, quæ significatio? controversatur. Imo & eò usq; nonnemo persuasione abreptus fuit, ut crediderit, lilia illa vix ab ullo quam Franco-Gallo rectè pingi vel representari posse. De tempore, *Becani*, & nova, altera communis & antiquior est opinio. Illa tria lilia, quæ in Francorum Regum scutis spectantur, jam olim Noachi ætate in usu Francis fuisse, dicit. Ceteri *Clodoveum*, tunc, ad religionem Christianorum accessit, relictis bufonibus, vel antiquis insignibus lilia assumpsisse memorant; adhuc post pauca. Sed his non male opponitur, authores antiquiores hujus miraculi nullam fecisse mentionem; recentiores vero non satis inter se consentire, nec probare quod dicunt. Videri quoq; ab ipsis regib; qui numerum liliorum mutaverunt creditum, rem non Cœlestis, sed humanae originis fuisse, cui quid addere vel detrabere, qui superiorem non recognoscit, pro lubitu possit. Tandem post pauca. Ego, etiam cum periculo censurae, quam illi, qui hoc miraculum pro figmento habuerunt, passi sunt, malo difficilè credere, quam facilè decipi.

§. XXXV. Itaq; ut universim de *Goropii* pronunciemus placitis, eò res redit, ut dicendum sit planè illum perdidisse oleum ac operam, quando, quæ sollicito studio commentus est, nemo non qui æquam adhibet censuram, pias fabulas fatebitur. Nequè enim vel vola vel vestigium earum rerum in oraculo præsentis habetur, quas ex eo voluit elicere *Goropius*. Neque etiam de cætero convenienter Franco-Gallis accommodari, quæ intendit, possunt. Etenim cum proprietatum istarum non sint capaces quæ proveniunt à vite; neq; ipso nomine honorari illos fas est. Amœnissima censetur
vera

vera vitis cum suavitate & odoris & saporis alliciat hominum animos, & impleat dulcissime. Frutex adhuc innocens injurias non infert alteri. Ista vero omnia; ut ad modernos nos convertamus Francos, Occidentales illos, quomodo congruant, est in confesso. Tantum sane abest ut vera vitis exprimant imaginem & indolem, ut potius ejus sint perditores. Anne etiam alii nobis possint persuadere fructus, cum sc. puram verbi Divini doctrinam ejusdemque innocentes ministros verbis & verberibus invadere ac opprimere ex summo annituntur studio. Cujus rei certiora sunt indicia quam ut in apricum hic debeant produci. Ipse certe etiam Goropius, sive priorum, quæ dixerat immemor, sive veritatis victus conscientiam, hæc prodidit ex parte, suaque quæ protulerat antea, non leviter debilitavit. Ita enim hanc in rem Lib. 4. Francicorum p. 107. fatur. *Pudeat, pudeat nos Francorum nominis, cum illis includimur angustiis ut non palmites nostros in aliorum fines extendere non possumus, sed nostris etiam terminis excludamur; videamusque Turcam in ipsa Europa imperii sui sedem collocasse, vel Francorum nomen & ampla spei signa deponantur, vel quia ea usurpant, tales se in Christiana religione propaganda præbeant, quales de titulis suis volunt videri, hæc idem.*

§. XXXVI. Quæ cum ita sint, non immerito hunc **Vitis** titulum ipsis, tanquam iniquis possessoribus, adimimus; verae autem viti **Christo**, quæ nunquam arefcit, semper floret, & semper amoenissime fragrat, vindicamus. Ipse est qui neminem averfatur, sed omnes suum anhelantes consortium, colligit in vineam, ac in Tabernaculis Semi honoris atque gratiæ subsellia assignat. Hunc etiam supplices veneremur, dignetur adhuc dissipatos congregare, errantes reducere, adeoque usque ad finem seculi Japhetam in

Sanctissimi sui nominis gloriam, nec non aeterni regni incrementum, clementissimè conservare! Ipsi cum Patre, ac Sancto Spiritu sit laus, honor, & gloria in infinita secula.

GLARISSIMO, ET PRÆCELLENTI
DN. M. JOHANNI SOLINO, SVECO.
AMICO DILECTO.

NOACHI nato celebri de gente JAPHETO,
Qvi verus noster creditur esse Pater.
Ædibus inq; sacris SEMI, dicente Propheta,
Præ CHAMO, Frater qvi Senior fuerat,
At Patris irrisor: tentoria figere quondam
Debit, ut DOMINO gaudeat Ipse frui,
SEMINE promisso BENEDICTO, liber ab omni
Serpentis poenâ, Gentibus ergò Salus
Contigit ista, fide quæ complectuntur IESUM.
Gaudia quæ NOBIS propria perpetua.
Id SOLINE doces nunc Præclarissime, Sacræ
Scripturæ firmans omnia; quæq; probans
E Verbo DOMINI, sine quo doctrina, fidesq;
ESSE potest solidè nulla, animaq; quies.
Gratulor egregium specimen, mox præmia digna,
Comprecor, ut reddat PATRIA grata TIBI,

ABRAHAM CALOVIUS, D.

Parturit eximium præclari cura laborem
Anxia Solini sedulitasq; pia:
Parturiet tandem virtutis fervor honorem,
Curarum messis blandula quando venit.
Illa tibi veniat Divinò numinis almi
Consiliò suavis, non remorante manu!

JOH. ANDR. QVENSTEDT, D.
Cla-

Clarissimo DN. M. RESPOND.

Convictori & Amico singulari,

Cum de Tabernac. SEMI & JAPHETI disputaret Autor:

Siccine tu scenas Semi ac habitacula Japeti,

Et totam Jani paucis nunc discutis aulam,

SOLINE, & veteres animis plaudentibus aras

Erguis? o factum vel primâ laude vehendum!

O veniant tandem postrema ea secula Tbulæ

Ut possit penitus lustrare habitacula Semi!

Ardentes Patriæ pietate Viros-Heroas,

Scyrtos, & similes Deus excitet, opto frequenter!

Post alios SOLINUS Apostolus atque Magister

Illustret loca, quæ tenebris damnata Aquilonis.

Gratulabatur

GEORGIUS CASPAR KIRCHMAJERUS,

Orator, P.P.

Ειαρινὸν δ' ἡμῶν κῦν ἀγχοῦτι χάρμα πάρεστι;

Καινὰ τε γὰρ ἢ χθῶν εἴματα ἐσαμύνη

Μήλιχ⊙ εὐλύμπυ τε καὶ ἀστερόεντ⊙ ὀπωπῆ

Φοιτῶντ⊙ παρὰ μιν Φοιβῆϊοιο Φάεος.

Ὀψι δὲ ἐν ἀνθεῖ ζείδωρ⊙ ἄρυσσα θαλέη;

Ἴλη μὲν θαλάσς ὅττε καὶ φύλλα φέρει;

Ἰψίκομ⊙ δὲ χεῖς δρυὸς αὐτίκα κλει⊙ εἰοῖον

Καὶ γ' αὐτῶν φύσεως δεικνυσι λοιπὰ φύην.

Πάν ε' ὁ τρέφει πόντ⊙ ἴ' ἀηε, τε Φυσίζο⊙ αἶμα

Λαμπρὰ μὲν εἰ γένε⊙ σηματα ἐστὶ φέρων.

Οὐδεῖ' ἐγὼ ἀλογεῖ καρπὸς Σώλιν⊙ ὀπάζειν,

Νῦν προφέρων αὐτὸς ἐν μελέτησι Φαλαῖς.

Ὡς δὲ κεν ἡελίοιο τροπῆς ἀερισπύται νῦν,

Ἐξ ἀπλῶν ἀνδρῶν Φησ' ἐρατὴν σομάτων;

Ὅτω καὶ τ' Ἑλικωνιαδὲς Μῆσ' ἡμερέεσσιν

ἄδετε μὲν Φθόγχοις τὸν θαλάσσιν' ἐρατὸν

ἄδετε Σώλινόν τε Διὸς κῆραι μεγάλοιο:

Πὰρ δ' αὐλῆς αὐτὸν γ' ἄδετε ὦ χάρμις.

Εἴθερ' ἐμῶ καγὼ λιπαροῖσι χοροῖσιν ἐκείνοισι

Ὅσων προσθήσω: Ὀλβιον ἐξδὲ πόνον!

Ὀλβ

ΔΑΒΙΔ ἰσθι μένων καυτῆς ! κ' ἐνὶ Βάλλεο παύται
Σειοθυμῶ, ἃ Φιλὸς εὐχεταὶ εὐχόμευθ'.

Ita Per. Rever. & Praclariss. Dn. Mag. Solino, Fautori, Amico &
Contubernali suo plurimum colendo gratulari voluit
M. DAVID Lund/ Finl, Svecus.

Nuper ut ordo Sophum Sophia cultoribus aptis
Ordine consueto, digna Brabea dabat;
Hos inter quoq; Te Praclare Soline locavit,
Ac titulos, artes quos meruere, dedit.
Nempe inter viginti & quattuor arte Magistros
Mox primas sedes contulit, ecce, Tibi.
Ac de jure tulisse Tibi, quascunq; tenebas
Sedes, ut monstres, pulpita laetus adis.
Pulpita laetus adis, nec non certamina docta
Misceas, quae nosmet Biblia sacra docent.
Sacri Scriptoris divina volumina pandis
Mosis, ut ex illis praelia docta pares.
Rem facis egregiam: juxta hac ratione studere
Si Sacra non Sacris, jungere quisq; velit,
Gratulor hos nifus, ac sint haec prospera caepa,
Opto! Sintq; Deo grata, Tibiq; bona!
Te magno semper Numen dignetur amore,
Sorteq; felici terq; quaterq; beet!
Ac post haec mundi nutantia crura prophani
Te incoluisse sinat semper in arce sua!

Ita Pl. Rev. & Pracl. Dn. Mag. Fautori & Amico suo sincere colendo,
prolixiori animo quam verbis gratulari voluit ac debuit
M. BARTHOLD DURÆUS, Ostro-Gothiâ-Svecus.

Sic tua mens nobis, reverende Soline, patescit.
Nonne reliquisti patria, Docte, sola?
Scilicet ut tanti Doctoris dogmata fiant
Emolumenta tibi, quæ cupis atq; voves.
Praclarum specimen gratos præbebit honores,
Fiet, olympus ait, spes bona, fiet, ait.

Sic viro admodum reverendo ac Praclarissimo Dno.
M. Solino gratulari voluit

ERNESTUS BENJAMIN ERNESTI, Northusâ, Thur.

06 (0) 20

05 A 429

ULB Halle

3


004 208 79X



1017 Ad.







INDIVIDUÆ ΤΡΙΑΔΟΣ!
 THEOLOGICA,
 GEN. IX. 27.
 ntinens
 M NOACHI,
 DE
A T I O N E
I N T A B E R -
I S S E M I,
Quam
 e Coelesti Numine,
 ADEMIA WITTEBERGENSI,
 RÆSIDIO
di, Magnifici atq; Amplissimi
A M I C A L O V I I,
 bl, Primarii famigeratissimi,
 ac. Theol. Senioris gravissimi,
 ris, Circuliq; Electoralis Saxonici
 eralis vigilantissimi ac longè
 berrimi,
is sui, filiali obsequio & devotione
ndi ac suspiciendi,
 ruditorum ventilationi subjicit
A N. S O L I N U S,
 Svecus, A. & R.
In Auditorio Majori,
ana M DC LXXXIII
N B E R G Æ,
S C H R Ö D T E R I, Acad. Typogr.